

1.5.

9 [Αὐτοκράτωρ Λέων Α.]

Ἀνθρώπων καὶ ὄσιον εἶναι λογιάμενοι τοὺς
αἰρετικὸν ἐπιτρέπομεν θάπτεσθαι ταῖς νενομι-
σμέναις ταφαῖς.

*D. Constantinopoli id. Aug. Constantino et Rufo
conss. [a. 457]*

id est:

Imp. Leo A.

Humanum piumque rati haereticos solitis sepulturis tradi mandamus.

1.5.10

Idem A. Erythrio pp.

Si qui orthodoxae religionis emptione vera vel ficticia aut quocumque alio iure vel titulo praedia et possessiones resque immobiles, in quibus orthodoxae fidei ecclesiae vel oratoria constituta sunt, in haereticae sectae et contraria orthodoxae fidei sentientem quamcumque personam transferre voluerint, nullam huiusmodi vel inter vivos habitam vel secreto iudicio compositam valere volumus voluntatem, etiamsi ab orthodoxae fidei venditore vel quocumque modo alienatore commenticio sub qualibet occasione fuerit adsignata: sed irrita omnia huiusmodi documenta et tamquam penitus nec scripta esse censemus.

1 ¶ Haec enim praedia et possessiones, quae in haereticas personas quocumque modo translatae fuerint vel collatae, fisci nostri viribus decernimus vindicari.

2 ¶ Sive enim apud dominos possessoresve orthodoxos ea praedia maneant seu ad fisci nostri iura pervenerint, necesse est in his ecclesias et oratoria constituta diligentius et sollicitius instaurari, nostrae enim serenitatis undique ad hunc exitum providentia ducit, ut omnipotentis dei templa, in quibus nostrae fidei instituta perdurant, cultu adsiduo per omnia saecula rediviva serventur.

3 ¶ Nec enim dubitari potest, quod si in haereticos veniant possessiones, in quibus verae fidei ecclesiae vel oratoria constituta sunt et integritas colitur, omnimodo ab his deseri atque destitui, omni cultu vacare, omnibus sacris et solitis viduari mysteriis, omni splendore privari, nullis populorum conventionibus, nullis clericorum observationibus celebrari et ex hoc sine dubio easdem ecclesias perire ruere complanari, nec enim de earum instauracione haeretici poterunt aliquando cogitare, quas penitus esse nolebant, quae omnia resecantes ad praesentem legem pervenimus.

[a. 466—472?]

1.5.

11 Θεσπίζομεν τοὺς τὴν ὀλεθρίαν τῶν Μανιχαίων αἰρουμένους πλάνην μηδεμίαν ἔχειν παροησίαν ἢ ἄδειαν καθ' οἰονδήποτε τῆς καθ' ἡμᾶς πολιτείας διάγειν τόπον· εἰ δέ ποτε φανεῖεν ἥτοι εὐρεθεῖεν, ὑπάγεσθαι κεφαλικῇ τιμωρίᾳ.

D. v id. Aug. Boethio vc. cons. [a. 487 vel 510]

id est:

Sancimus, ut qui perniciosum Manichaeorum errorem amplectuntur nullam facultatem aut licentiam habeant in quolibet nostrae rei publicae loco commorari et, si quando apparuerint vel inventi fuerint, capitali poena plectantur.